



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 4. De Vnitate Dei in Essentia, & eiusdem Trinitate in Personis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO IV.
DE VNITATE DEI IN
Essentia, & Trinitate in
Personis.

PUNCTVM I.



a *Deut. 6. 4*
 Dominus
 Deus no-
 ster vnus
 est.

S. Thom. 1. finit Dii. Tantum itaque est vnus Ceator, vnus
p. q. 11. a. 3. Gubernator, vnus Dominus, vnum primu
a 1. Cor. 3. 4 principium, & vltimus rerum omnium finis
 cui veritati innituntur præcipua mandata no-
 stræ legis.

I.

NAM primùm, cùm Deus sit summum bo-
 num & infinitum, in quo continentur omnia
 bona, & perfectiones possibles, ita vt nec
 vnica possit illi deesse; (nam, vel vnica deficere
 te, esset ipse imperfectus, eamque mendica-
 ret ab alio) clarissimè sequitur, nõ esse nisi vn-
 icum. Si enim plures essent Dii, deesset vnica
 bonitas & perfectio, quam alij habent, quæ
 etiam ab illis differt. Et hoc est fundamentum
 illis mandati Dei, quo iubet, vt ipsum super-

omnia & b ex toto nostro corde diligamus, quia
 scilicet ipse est summum bonum, omne bonū, b Deut. 6. 5.
 & vnicum bonum; & dignus, qui summo a-
 more & omni, & vnico diligatur absque vlla
 diuisione cordis ad alios amores, qui non sint
 ad ipsum ordinati. O bonum infinitum, quid
 multū est, si te si ego super omnia diligā, cū tu
 sis vnus Deus super omnia? Et quid magnum
 est, si tibi reddam totum, summum & vnicum
 amorem; si quidem hoc totum est exiguum,
 comparatione eius amoris, quem tota tua bo-
 nitas summa, & vnica meretur. Rectum om-
 ninō est, vt nihil omninō aut contra te dili-
 gam, aut quod ad te ipsum non dirigatur; si-
 quidem nulla res est, quæ bona sit, & ama-
 bilis, nisi propter bonitatem, quam à te ac-
 cipit.

II.

DEINDE considerandum, quoniam Deus
 est supremus Dominus, & suarum creatura-
 rum Gubernator, cui illæ omnes subiectæ
 sunt, & cuius c voluntati efficaci nullus potest c Iob. 9. 4.
 resistere. (Nam si quis ei resistere posset, esset c Psal. 75. 8.
 DEVS valdè miser, nec tranquillus esset, c Isa. 47. 3.
 nec in pace gubernare posset, nec eius reg-
 num durare). efficitur itaque quod non sit nisi
 vnus & solus Deus. Si enim multi essent Dij,
 diuersa haberent iudicia, voluntates, & po-
 tentias; possetq; alter aduersus alterū aliquid
 velle; inferre illi bellum, & contradicere.
 Non esset possibile, creaturas in hoc mundo
 perdurare, in illa pace & ordine, quem ha-
 bent: quia d omne regnum in se ipsum diuisum d Luc. 11. 17

deso-

desolabitur. Quare ipse ordo cœlorum, elementorum, & animalium, prædicat esse vnum & solum Deum; omnium gubernatorem: & huic veritati innititur mandatum illud Dei, *e Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias* ex toto corde, & ex tota anima. Nam vt noster Saluator dixit: *nemo potest duobus Dominis seruire*. Quia necesse est, illos diuersa & contraria interdum mandare. quod si eorum vni est parendum, necesse est id alteri displicere; ideoque contemnere. Non itaque esset possibile, duobus Diis seruire: totam ergo meam curam ponam in seruiendo huic vnico & supremo Domino meo; ei que soli integram obedientiam præstare; nullique alteri, nisi ipsius intuitu, & propter ipsum; quia videlicet ille in eius loco est constitutus; & ipse vult, vt illi paream.

III.

TERTIO, cum Deus sit noster supremus legislator; cuius est præscribere nobis leges, quæ eius dictamen & voluntas, regula est eorum, quæ facere debemus; eidem porro competere omnium esse iudicem; vt obedientibus præmium, & rebellibus supplicium reddat: Eiusdem ipse est vltimus finis & beatitudo nostra in cuius visione & possessione, inueniuntur satietatem, & omnium desideriorum nostrorum expletionem; Ex his euidenter efficitur quod nõ possit esse nisi vnus Deus, vnus legislator, iudex supremus, & finis vltimus. Si enim multi essent, possent esse diuersi & contrarij in legibus, in præmijs & penis reddendis

S. Thom. 1.

2. q. 1. a. 5.

nec vllus eorum per se & solus posset explere
 nostra desideria, quia adhuc desideraremus
 alterum videre. In eadem quoq; veritate fū-
 damentum habet obligatio, qua tenemur ad
 vnam puram & g *simplicem intentionem* in no-
 stris operibus, vt illam ad solum Deum, tan-
 quam ad nostrum vltimum finem dirigamus,
 quærentes tantum eius gloriam & honorem
 in omnibus rebus nostris.

g Mat. 6. 22

Ex his concipiam primùm magnam cō-
 miferationē erga infideles & idololatrias, qui
 multiplicant sibi falsos Deos, cū iniuria veri
 Dei. Orabo aut ipsū Deum verū, vt hoc vi-
 tium ex mundo dignetur abolere, dicens illi:
 O Deus vnice & vere, qui h *super nubem leuē* h Isa. 19. 1.
 sanctissimæ tuæ humanitatis, *ingressus es Aegy-
 ptum miserandi huius mundi: commoue ac re-
 uice a facie tua omnia simulachra*, quæ homi-
 nes huius mundi adorant, & *tabescere fac cor
 in medio eorum*, terrendo eos tuo sancto timo-
 re, & trahendo ad te dulci tuo amore.

DEINDE intelligam, quàm grande malum
 sit peccatum, qui falsos Deos admittens, Veri
 Dei Vnitatem destruere contendit: siquidem
 (teste Apost) *carnales homines: i ventrem suū* i Phil. 3. 19.
 pro Deo habent, & *auari pecuniam*, Superbi ho- k Gal. 5. 20.
 norem inanem: & quisque pro Deo suo & fine
 vltimo, iam rem habet, cuius amore, Deū ve-
 rum relinquit. Ex quo prouenit, vt quotidie
inuos recentesq; inueniant, quos non coluerūt l Deut. 32.
 Patres eorum. O Deus æterne, & in *antique* 17.
litterum, & iudex mortalium, propugna causā
 tuam

m Dan. 7. 9

n^o Ephes. 4. 6

tuam, multitudinem destruens falforum Deorum, vt omnes mortales non ore solum, sed opere quoq; confiteantur & protestentur, esse *in vnum Deum & Patrem omnium, qui est super omnes: & per omnia, & in omnibus*, quem laudent omnia, & glorificent in secula, Amen.

III.

o Luc. 10. 42

TERTIO, intimum quoddam desiderium concipiam, reuocandi omnes cogitationes, affectus, & desideria mea, ad vnum hunc & supremum Deum, non effundens me ad res alias; sed manens hac vna re contentus, in qua verè sunt omnia, dicens animæ meæ, quod Christus Dñs noster dixit aliquando Marthæ: *anima mea, o sollicita es, & turbaris erga plurima, cum porro vnum tibi sit necessarium, amare scilicet, colere, & seruire vni soli Deo, creatori rerum omnium; vni soli Patri, à quo procedunt omnes; & vni soli fini, ad quem omnes diriguntur; & in quo requiem & sacuritatem inuenies sempiternam.*

IV.

p Mal. 2. 10

DENIQUE ingens desiderium concipiam, amandi & benefaciendi omnibus hominibus: siquidem omnes habemus vnum Deum, vnum principium, & finem vltimum: memor sententiæ Malachiæ dicentis, *p nunquid non Pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrum fratrem suum: violans præceptum & legem latam Patribus nostris? O Deus infinitè, vnice in Essentia, à quo procedimus omnes; concede nobis in te vnum esse, mutuo*

nos diligentes, tanquam facturam vnus eiusdemque Dei; tanquam famulos eiusdem Domini, filios eiusdem Patris, destinatos ad eundem finem, te videlicet vnicum, & summum bonum omnium, cui sit gloria in æternum. Amen.

PUNCTVM II.

DEINDE considerandus est Articulus alter potissimus fidei nostræ; quod scilicet Deus Dominus noster, ita sit VNVS in ESSENTIA, vt simul sit TRINVS in PERSONIS, a PATER, FILIVS, & SPIRITVS SANCTVS; captivandus itaque est intellectus, ad credendam hanc veritatem; quamvis assequi non possim, quomodo ita sit, Licet tamen circa eam sic ratiocinari: quod Deus Dominus noster simul in se complectatur omne bonum & perfectum, quod cernimus in creaturis, separatim tamen à malo & imperfecto, quod in illis est: Et ideo habet illud bonum, quod est esse vnum, sine eo malo, quod est esse solum; habet item illud perfectum, quod est esse plures, absque illo imperfecto, quod est esse diuersos: est enim VNVS in ESSENTIA, & in DIVINITATE; vnus in bonitate, sapientia, omnipotentia, & in cæteris omnibus attributis. Quamobrem tres diuinæ personæ, sicut sunt b vnus Deus, ita vnum eundemque habent sensum, vnum velle, vnum idemque posse, & operari; nulla inter ipsas personas diuersitate iudicij; nulla volunta-

a Mat. 28.

19.

a 1. Ioan. 5. 7

S. Thom. 1.

p. q. 27.

b Ioan. 10. 30

tum contrarietate, aut operum oppositione; nam omnes tres idem sentiunt, idem volunt, idem extra se operantur, summa pace, summa concordia. Sunt nihilominus **TRES PERSONAE DISTINCTAE**, & non una sola; ne ea perfectione & voluptate **DEVS** careret, quam secum adfert communicatio, & amicitia perfecta inter æquales; & ut bonitas, sapientia, & potentia Dei, impleret suum desiderium, communicandi se infinite & modo infinito. Et ita Pater explet hæc desideria, dum suam diuinam essentiam, sapientiam, & omnipotentiam communicat Filio; & Pater & Filius idem communicant Spiritui sancto, & inter ipsas tres personas est amor infinitus, & amicitia perfectissima, tanquam inter personas æquales, & ita similes, ut verè sint una eademque res, in substantia diuini sui esse; & in hac communicatione & amicitia, est infinitum gaudium & lætitia, exultante infinite unaquaque persona, de proprio Esse personali, quod habet altera.

c Isa. 7. 9.
Iuxta Lxx.
nisi credideritis non
intelligetis.
d Rom. 11.
33.

Ex hac consideratione eliciam primum, magnam admirationem, & profundam reuerentiam; erga Maiestatem **DEI VNIVS & TRINI**; Summe venerans in ea, quod non assequor; & me ipsum impellens (sicut ait *Isaias*) *c ad id credendum, ut sic intelligam; & exclamans cum Apostolo, O d altitudo diuitiarum sapientie & scientie Dei! si tua iudicia sunt incomprehensibilia, & via tua inuestigabiles,*

DE VNITATE DEI.

51

biles, quanto magis incomprehensibile erit
tuum Esse, & quanto magis inuestigabilis tua
Deitas! Auge Domine in me fidem, vt ita cre-
dam altissimam tuam Trinitatem, vt etiam
intelligam; & ita intelligam, vt etiam amem,
& tandem perueniam ad fruendum ea in æ-
ternum. Amen.

II.

DEINDE concipiam magnum gaudium, ob
Vnitatem perfectissimam, quam tres diuinæ
personæ habent inter se; & simul intimum
desiderium, vt particeps eius fiam, imitando
illam modo mihi possibili. O Pater æterne,
gaudeo summoperè de Vnitione, quã habes cū
tuo Filio! O Fili Dei vnigenite; gaudeo de a-
more, quem geris erga tuum Patrem! O Spiri-
tus Sanctissime, gaudeo de vnione & amore,
quem habes erga Patrem & Filium! O Trini-
tas Beatissima, gaudeo vehementer ob infini-
tam amicitiam, quæ intra teipsum emicat! O
Deus infinite, siquidem supremæ huius Vni-
tionis fidem mihi dedisti, da etiam gratiam, ad
illam eo modo imitandam, quo tu vis.

III.

Mox cogitabo de modo, quo mihi liceat
eam Vnitionem imitari; reuocans in memo-
riam, quod Christus Dominus noster in nocte
suz cœnæ, Patrem suum pro nobis orauerit,
e vt *simus vnum sicut ipsi sunt*. Sic ergo tres
diuinæ Personæ, habent vnum idemque
sentire, vnum & idem velle, atque vnum &
idem operari in rebus omnibus, summa con-
cordia, absque vlla diuersitate; propter quam
causam dicebat Christus Dominus de se:

Ioan. 17. 22

d 2

f non

I Ioan. 3. 19. *Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecunq; enim ille fecerit, hac & filius similiter facit; ita & ego studebo vnire me, vnãque rem cum Deo ita me facere per amorem; vt habeam vnum & idem sentire cum eo, quod ipse habet in rebus omnibus, quas mihi reuelauit; vnum & idem velle in rebus omnibus, quas mihi præscribit; faciamque etiam omnia mea opera eodem modo, quo ille iubet; nunquam ab eius voluntate in aliqua re discedens, sed me illi cum summa concordia & lætitia conformans.*

EANDEM Vnitionem, proportionem quadã, habere studebo cum meis superioribus, & ijs, qui animam meam gubernant, præcipue si sim religiosus; conformãdo iudicium meum, & voluntatem, operumque executionem, cum iudicio & voluntate Prælatorum; qui Dei nomine mihi præfunt. Eandem quoque Vnitionem procurare debeo, cum omnibus meis proximis, in rebus omnibus, quibus licite possum, ita me conformans (vt ait Apostolus), vt *g idem sapiam & sentiam, & eandem charitatem habeam cum illis.* Et quoniam impossibile est, viribus meis ad talem Vnitionem cum Deo & proximis peruenire, eam petam à sanctissima Trinitate, dicens: O Deus infinite, qui Trinus es in personis, sed vnus in Essentia; & ita diuinitatem tuam communicas, vt Vnitas non lædatur; comunica mihi copiosam gratiam, qua eò perueniam, vt sim tecum

vous Vnionē perfectæ charitatis. O Saluator mundi, offer æterno tuo Patri orationē, quam in nocte Passionis tuæ pro me fudisti, vt eius virtute fiam ego vnum tecum, & cum omnibus meis fratribus, sicut tu vnum es cum Patre tuo cœlesti, per infinita sæcula.

PUNCTVM III.

TERTIO considerandus est modus, & ordo huius mysterij in Deo. Nam prima persona scilicet Pater; seipsum cognoscens, & comprehendens suam diuinam Essentiam, cum infinita maiori claritate, quam ego meipsum videam in speculo; illa cognitione format intra se conceptum & imaginem viuā sui ipsius; & hic cōceptus est eius filius, de quo dicit Apost. quod sit *a splendor gloria, & figura substantia eius, & b imago eius inuisibilis.* Hic est, quem S. Ioan. **VERBUM** appellat: quod verbum loquitur Pater intra seipsum; & quia exprimit in eo quidquid ipse scit; appellatur **SAPIENTIA** Patris. Quamobrem autem Pater producit Filium, necessario illum amat, & complacet in eo sibi amore & gaudio infinito: quia in eo videt suam propriam bonitatem infinitam; & filius eadem ratione amat Patrem infinito amore & gaudio, ob infinitam, quam in eo videt bonitatem, & quam ab illo ipse recipit: & vterque simul hoc ipso amore producit vnum imperum siue impulsam diuinæ suæ voluntatis: quem impulsam appellamus

a Hebr. 1. 3.

b Colos. 1. 15.

c Ioan. 1. 1.

S. Thom. 2.

P. 1. 42.

Spiritum S. cui Pater & Filius suam diuinitatem communicant : & ita est vnus & idem cum illis Deus. Et hoc totum est in Deo, à sua vsque æternitate: nã omnes tres personæ sunt æternæ, nec vna altera prior; nec Pater antiquior est, quàm Filius; nec Filius, quàm Spiritus S. non enim sunt Pater & Filius, sicut sunt terreni. Item omnes tres Personæ sunt immensæ, nec potest vna ab altera separari; sed vbiunque est Pater, est & Filius, & Spiritus S. & omnes tres sunt æquales; ita vt vna non sit altera maior; quia tanta est dignitas esse Filium, atque esse Patrem; & esse Spiritum S. atq; esse Filium. Omnes itaque tres Personæ, integram habent & plenam beatitudinem in cognitione & amore sui ipsarum, & suæ diuinitatis. Ex quo procedit, vt sint infinitè lætæ & saturæ, absque vlllo tædio, aut necessitate rei alicuius extra se ipsas. Quare etsi Deus in sua æternitate, antequam mundum crearet, esset solus absque vllis creaturis; non tamen otiosus erat aut sine summo gaudio: nam principale eius opus, est internæ cognitionis & amoris; in quo opere consistit eius gaudium ineffabile: & ab eo procedunt externa opera, quæ omnibus tribus Personis sunt vere communia, quia omnes tres sunt vnus Creator, Sanctificator, & Glorificator; vnus Benefactor, à quo procedunt omnia opera naturæ; gratiæ, & gloriæ: ideoque omnes tres, audiunt orationes nostras, implent nostræ desideria, & nos ipsos replent misericordijs.

Ex omnibus his considerationibus, concipiendi sunt magni affectus admirationis, amoris, gaudii, & laudis, propter singularum diuinarum personarum excellentias; ratiocinando per eas, quæ sunt in singulis, in modum colloquii, colloquendo cum vnaquaq; seorsim, hac subscripta vel simili forma.

Cum Patre aeterno.

P RIMUM itaque cum Primâ persona colloquens, illi dicam, O Pater Maiestatis immense, principium absque principio, quia à nullo procedis, à te verò reliquæ personæ procedunt, meritiissime dixisti: *nunquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam? & qui generationē cæteris tribuo, sterilis ero?* Gaudeo, Dñe, quod intra te ipsum, verbum tuū æternū concipias, generesq; istū Filium ad eum tibi similem, ut sit vnum idemq; tecum. Nec defectus aliquis reputandus est, quòd non habeas multitudinem filiorum; siquidem in hunc solum exeris infinitam tuam virtutē; vno actu generans summum, quod poteras generare.

I.

a Isa. 66. 9.

O Pater gloriosissime, gaudeo perpetuum esse gaudiū, quo afficeris, generādo talē Filiū; continuè. n. illū generas, dicisq;: *b Filius meus es tu, ego hodie genui te.* O æternum HODIE, quod semper fuisti, semper es, & semper eris; nunquam desinens esse. O diuina generatio, qua tu Pater supreme genuisti, gignis, & gignes Filium, quem tantoperè diligis! O quanta læticia dixisti in tua æternitate, quod postea

II.

b Psal. 2. 7.

c *Matth. 3.* apud Iordanem, & in monte Thabor, *hic est*
 17. & 17. 5. *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit!*
 quis alius præter te, & quod tecum est unum,
 intelligere potest amorem, quo tuam ipsam
 diuinitatem illi communicas; d *si filius sapiens*
 d *Proverb.* *latificat Patrem, quanta lætitia afficeris ex eo*
 10. 1. *filio, qui est ipsa met sapientia cum tua?*

III.

c *Ephes. 3.*
 15.

O Pater cœlestis, e *à quo omnis paternitas*
in cœlis & in terra nominatur; siquidem tanto-
 perè oblectaris, quod sis talis Filii Pater; per
 eundem tibi supplico, ut multos alios gignas,
 quorum sis Pater per gratiam adoptionis sic
 ut huius es Pater per naturam. O utinam &
 terra, & cœlum, talibus filiis replerentur, ut

IV.

f *Iacob 1. 17*

g *Ioan 1. 9.*

h *Heb. 1. 3.*

i *Ioan. 17. 3.*

deret in cœlis & in terra! O *Pater luminum,*
 à quo procedit *g lux vera,* quæ est filius tuus,
 h *splendor infinitæ gloriæ tuæ;* da mihi viam fidei
 lumen, quo agnoscam *te solum verum Deum,* &
 Vnigenitum, quem genuisti *Iesum Christum,*
 per quem te agnoscam, & diligam, si quæ fi-
 lius lucis in hac vita, & obtineam lumen
 gloriæ, quo te clarè videam in æterna. A-
 men.

Cum Vnigenito Dei Filio.

I.

a *Ioan. 1. 14.*

q. 8 42.

L OQV AR deinde cum secunda di-
 uinitatis persona, eius proprietates
 percurrens. O fili Dei viui, a *Vnige-*
nite qui æterna generatione, à Patre pro-
cedis: Gaudeo, quod per excellentiam sis

VNI-

VNIGENITVS, ita vt nec fuerit vnquam, nec futurus sit talis vnigenitus, atque es tu. Multi sunt filij vnici suorum parentum, sed tu solus Vnicus es, & Vnigenitus, modoq; adeo singulari generatus, vt impossibile sit, alium huic similem inueniri.

II. **TV ES VNIGENITVS**; quia quò Deus, genitus es à Patre sine Matre; esq; adeo Vnicus tui Patris, vt non possit ille alium generare; & ab eo solo accipis bonum infinitum, quo frue- ris: ita vt non sit possibile, aut Patrem desiste- re à tanto bono tibi communicando, aut te, ab eo recipiendo: quia vterque infinitè oblecta- tur, ille quòd te generet; tu verò, quòd ab eo genereris.

III. **TV ES VNIGENITVS**, quia tu solus inter omnes filios, es imago & figura tui Patris, adeo perfecta, vt eò peruenias, vt sis vna eademq; res cum illo, ita vt qualis est Pater, talis in omnibus & per omnia sit filius: estq; tanta omnino dignitas esse filium, quanta est esse Patrem. O æqualitas infinita! ò similitudo singularis, potius admiranda, quàm imitanda! ad quam nullus potest cum æqualitate peruenire, quamuis liceat suspirare, pro impetranda aliqua eius parte.

IV. **ES ITEM VNIGENITVS per excellentiam**, quia solus accipis hæreditatem paternam, inestimabiles videlicet eius Diuinitatis diuitias, nihil ipso Patre sibi reseruante, quod tibi non tradat, ita vt sis æquè potens atque ipse, cum æquali etiam potestate generandi alios

b Rom. 8.17

b Gal. 4.7.

V.

c Ioan. 1.18.

d Ioan. 12.

26.

filios adoptiuos, qui hæredes sint gloriæ tuæ, in ea portione, quam volueris illis dare. O si me tibi similem faceres, in eo, quod est esse filium: nam b si filij (ait Apostolus) & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

V. TV denique es per excellentiam VNIGENITVS, quia *ces in sinu Patris* tui, nunquam ab eo discedens. Gaudeo, ô bonum meum, de reque ista tua æterna, quam habes in paterno isto sinu, penetrans omnia secreta infinitæ sapientiæ Patris tui; & amans infinito amore bonitatem eius, qui te intra se retinet; & bibens totum Torrentem deliciarum & voluptatum, qui exundat in Diuino ipsius pectore. O si & ego Diuinum istum sinum ingrederer! O si recumberem in sancto isto pectore, ut particeps aliquo modo essem lucis, amoris, & voluptatis, quam isthic habes: non sum contentus Domine cū sinu Abrahæ, credentiū Patris; sed cupio sinū Patris tui, qui est Pater viuentium: & uti tu es, ego esse cupio, qui dixisti: *vbi sum ego, illic & minister meus erit.* Aspice, anima mea, quantum sit Patris gaudiū, talem filium in sinu suo continere; & quantum ipsius filij in talis Patris sinu requiescere: & ingrederi fide & contemplatione in eundem sinum, ut vtriusque gaudio, quod vnum & idem est, fruaris; & oblectare te cum vtroque, coniungens gaudium tuum cum illorum gaudio, ut faciant te vnum secum. Verūm quid facis, verbum æternum & diuinum, ab æternitate tua manens in medio isto sinu? num tibi soli

illu

illum ita retinebis, vt nullus tecum sit in eo!
 O ineffabilis virtus Filij, qui procedens à Pa-
 tre suo, simul cum ipso producit SPIRITVM
 SANCTVM, tam bonum & tam potentem, at-
 que est vterque! Exulto, Deus meus, ob gau-
 dium quo frueris in hac productione, qua
 illi eandem Diuinitatem communicas, quam
 accipis à tuo Patre; & eodem gaudio, quo Pa-
 ter eam tibi communicat. O si mihi daretur,
 e sine inuidia communicare bona, quæ de manu
 tua accipio; vt multi te diligerent, sicut ego
 diligere opto, in secula, Amen.

e Sapi. 7.13.

Cum Spiritu sancto.

EODEM modo cum tertia persona Di-
 uinitatis colloquar, percurreas eius
 proprietates. O supreme Spiritus, qui
 à Patre & Filio, tanquam ab vno principio
 æterna processione procedis, gaudeo quòd
 per excellentiam sis SPIRITVS, qui sum-
 ma voluptate hauris spiritum & vitam duo-
 rum, à quibus procedis. Tu es SPIRITVS
 Patris, à quo accipis Diuinitatem & omnipo-
 tentiam; & es Filij SPIRITVS, à quo acci-
 pis eiusdem sapientiam; & es Spiritus vtrius-
 que, à quibus accipis infinitum amorem, quo
 se mutuo amant, & tu illos eodem diligis
 amore, quo ab illis diligeris; ita gaudens,
 quòd ameris, atque illi gaudent quòd te dili-
 gant: quia omnes tres estis vnus DEVS,
 vna bonitas, & vnus amor. O si coniungerer
 tibi

I.

Ioan. 15. 26

Spiritus ve-
ritatis qui
à Patre pro-
cedit.

tibi in vno spiritu, vt totus conuerterer in spiritum amoris.

II.

Tu es propriè SPIRITVS, quia procedis tanquam impetus & impulsus à beneuola Patris & Filij voluntate; manens tamen intra illos, in vnitae Essentiæ, & charitatis; vnus infinitæ amicitie vinculo personas, à quibus procedis. O si procederet à te impetus quidam amoris, qui meam voluntatem impleret, & cor meum penetrans, illud raperet, tuoque coniungeret; ex vtroque vnum per amorem faciens! O spiritus Diuine, qui per excellentiam es SANCTVS, quia procedis cum amore, qui es fons sanctitatis, quæ non tam consistit in cognoscendo cum magna sapientia, quam in diligendo cum magna charitate. Gaudes de Sanctitate, quam habes; & de gaudio, quod illam à Patre & Filio recipis, à quibus procedis. Et siquidem ab vtroque simul, tanquam donum procedis, vt liberaliter ijs communeris, qui fuerint tui capaces; da mihi te ipsum, donum infinitum; vt eo dono sim & ego Spiritus, sicut tu, in puritate; & Sanctus, sicut tu, in charitate; & per eam me totum dedam tibi, sicut tu das te mihi; vt sublimi tua Deitate fruam in æternum, Amen.

PUNCTVM V.

De mentis
oratione
ad Imita-
tionē Tri-
nitatis.

EX dictis in proximo puncto, perpe-
tam rationē & formam orationis men-
talis, & internæ cum Deo communica-

tionis.

tionis, & similitudinem illius aeternæ, quam
Tres Diuinæ personæ habent.

NAM sicut Pater æternus, Diuinam suam
Essentiam intelligēs format conceptū vnum,
& viam sui ipsius similitudinem, quæ est ver-
bum, quod semper intra ipsum Patrem per-
manet; ita in oratione curandum mihi est,
Deum ita perfectè cognoscere, vt intra me
formem conceptum eius verum, proprium, &
perfectū, qui sit imago & repræsentatio eius,
quod est in ipso, iuxta illud Apostoli, *a nosre*
uelat a facie gloriæ Domini speculâtes, in ean-
dem imaginem transformamur. Quæ cogni-
tio, debet meritò in me perseverare, qua ma-
xima fieri poterit continuitate & frequen-
tia.

I.

22. Cor. 3. 18

PRAETEREA, sicut Pater & Filius, mutuo
se amantes, producant amorem, qui est Spiri-
tus sanctus, qui etiam remanet intra ipsum
Deum; sic ego, statim atque Deum cognouero,
& hunc bonitatis conceptum formauero, de-
beo illum diligere, & producere intra me af-
fectum amoris, ceterosque affectus, qui illum
comitantur; dans operam, vt quo diutius fieri
poterit, maneant in corde meo. tunc enim re-
ipsa locum habet, quòd dixit Sponsa: *b inueni*
quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimit-
tam. Inuenire, pertinet ad cognitionem &
desiderium querens Deum; tenere autem illū,
proprium est cognitionis & amoris iam il-
lum possidentis, & eo fruētis.

II.

b Cant. 3. 4

Ex his actibus emergit summum gaudium

& vo-

III. & voluptas, cuius est capax anima mea: nam
S. Thom. 2. in illis consistit beatitudo, quam possum ha-
2. q. 180. a. 7 bere in hac vita; sicut etiam per eosdem possi-
 detur beatitudo æterna, quæ est videre clarè
 Deum; illum diligere, & eo frui in æternum:
 ubi communicatio cum Deo Domino nostro
 erit perfecta, & ei simillima, quam habent di-
 uinæ Tres Personæ inter se se: nam, ut ait S. Io-
c. 1. Ioan. 3. 2 annes: *cum apparuerit nobis Deus, similes ei-
 erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.*

II.

DENIQUE ex prædictis actibus id efficitur, quòd, ut tres Diuinæ Personæ, habent unum sensum, & unum velle, in omnibus quæ operantur, & simul ea faciunt in utilitatem creaturarum; sic ego virtute huius internæ cum Deo communicationis, cum ipso vnitus, lubè implebo eius voluntatem, & alijs beneficium: qui verus est fructus orationis. Hinc verò intelligam, quòd exerceri in huiusmodi oratione, non sit esse otiosum; sed nobilissimè habere occupationem, quæ sit possibilis; & ad eius similitudinem, quam Deus habet intra se ipsum; quamvis consueuerit appellari otium, propter quietem, quæ habet Mariæ contèplatio, qua differt ab strepitu & sollicitudine occupationis & vitæ Marthæ. Ob quæ causam dixit ipse
d Psal. 45. 11 Dñs per Dauid: *d vacate & videte: quia ego sum Deus: quasi diceret; expedite vos à rebus alijs, ut possitis attendere contèplationi; quia tunc videbitis, quòd ego solus sum Deus, ob res gloriosas meæ Diuinitatis, quarum facio fidem in æternam ei, qui vacat, ut eas contempletur.*

Ex his pergam ulterius, ad contemplanda mystica illa verba, quibus S. Ioannes hoc mysterium declaravit, dicens: *e Tres sunt, qui testimonium dant in caelo: PATER, VERBUM, & SPIRITVS SANCTVS; & hi tres vnum sunt: Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: SPIRITVS & AQUA, & SANGVIS; & hi tres vnum sunt,* In testimonio ferendo.

1. Ioan. 5. 7

CIRCA quæ verba perpendam, quòd Tres Diuinæ Personæ, tanq̄ legitimi testes, qui sūt in numero ternario, plenissimū dant testimonium rerum omnium, quæ ad illos spectant, idque summa cōformitate; eò quòd sint vnus idemq̄; Deus: & ita re ipsa testimonium reddiderunt in mundi creatione, & præcipuè hominis, quem fecerunt ad imaginem & similitudinem suam: Et in g Baptismo & h Transfiguratione, idē testimonium reddiderūt de sua diuinitate. Et postea dederūt testimonium de veritate suæ doctrinæ, de Sāctitate suę legis, & de efficacitate suę gratiæ, veniente ad id Spiritu S. sicut supra est dictum. Sed in particulari reddūt testimonium magnitudinum & perfectionum suarū, in ipsis iustorum cordibus, admirandis suæ Diuinitatis indicijs. Propter quam causam, dixit idem S. Ioannes: *i qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se; quod (teste Sancto Paulo) proprium est Spiritus Diuini. & Spiritus enim ipse (inquit) testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus filij DEI.* Sed vltimum testimonium clarum & euidens reddent beatis in gloria; vbi omnes videbunt

1. Gen. 1. 27.

2. Matt. 3. 16

h 17. 5.

S. Thom. 1.

2. 2. 9. 3. 6. 5.

1. Ioan. 5. 16

1. Rom. 8. 16.

Tres

Tres diuinas Personas; quia est impossibile vnam sine altera videre: & hac omnium trium visione manebunt saturi per totam æternitatem. O Trinitas beatissima, & Vnitas gloriosissima, quid tibi reddam, pro clarissimis adeo testimonijs, quæ de te nobis reddidisti, & etiamnum reddis, reddesque incessanter. Quod ego desidero, est, tria illa amplecti, quæ testimoniū dant in terra, spiritum videlicet aquā, & Sanguinem, adorans, amans, & imitans Spiritum Christi Domini mei, lauans me aqua, quæ ex pretioso illius latere fluxit; & meditantis sanguine, quem ex Diuinis suis venis effudit. O Utinam mihi daretur spiritus amoris, aqua lacrymarum, & sanguis pœnitentiæ, quibus testimonium redderem, quam multis sim tibi obstrictus, vt sic fierem vnum tecum vnione charitatis, ad te laudandum & glorificandum in æterna tua gloria, Amen.

MEDITATIO V.
DE INFINITA DEI PERFECTI-
ONE.

S. Thom. 1.
p. q. 4. a. 1.
& 2.



PERFECTVM illud vocamus, quod habet in se omnia, quæ potest & debet habere iuxta naturam suam; ita vt nihil nec minima quidem pars deest. Nam quidquid illorū